



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

Capvt VII. An ij, qui hunc iudecem agnoscunt prudenter poßint esse certi
de suæ fidei veritate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

demnandus est.

Restaret examinandum an Petrus sit immediatè Christi Domini in Ecclesia regenda vicarius constitutus; ita vt fuerit etiam vniuersali concilio superior & eius pastor; an verò acceperit suam pastoralementem potestatem vt instrumentum & minister omnium aliorum pastorum simul vnitorum? ita vt vniuersale concilium legitimè congregatum habeat auctoritatem supra ipsum Pontificem. Sed cum ex hæctenus dictis facile appareat priorem sententiam esse veriore, Rupes enim & fundamentum non dependet in sui solidatione ab ædificio sibi imposito; sed contra: Cum item posterior opinio nondum sit sufficienter erroris condemnata, ita vt etiam eam tenentes possint, modo velint nobiscum tolerari, non opus est, huic quæstioni diutius immorari.

CAPVT VII.

An ij, qui hunc iudicem agnoscunt prudenter possint esse certi de sua fidei veritate.

TEelingius, quoniam; vt supra parte 3. cap. vlt. absurdo 4. vidimus, homines in hac vita nihil habere docuit quo in fidei suæ examine quietare conscientiam suam possint; etiã Catholicos in eandem miseriam secum trahere nisus est, hoc argumento: ipsimet Papista qui contra vos tam odiose & falso exclamant, quod ho-

Bb 2 mines

mines ad proprium suum cuiusq; sensum, cerebrum
 & spiritum ablegemus, quique tam audacter glori-
 antur se vnicum & genuinum habere remedia-
 tam dissecta Christianitatis concilianda, quam con-
 trouersarum omnium finiendarum, exhaustis om-
 nibus suis gloriosis clamoribus. velint nolint, predicti
 veritatem oportet feteantur. Modus enim omni-
 conciliandi quem proponunt, hic est, vt testimoni-
 terna Christi Ecclesia in religionis negotijs absq; con-
 traditione aut vltiori examine recipiatur, tan-
 quã certũ supposito, eã errare nõ posse. Atq; ita
 ablegat homines ad Ecclesie testimoniũ sicut nos ad
 testimoniũ scripturæ S. Verũ sicut mox (recepta iã S.
 scriptura pro vnico fidei fundamento) controuersia
 de recto scripturæ sensu exoritur pro quo eruen-
 subsidiũ & illuminatio Spiritus S. requiritur. Eodem
 modo vbi iam quispiam receperit testimoniũ Ec-
 clesie vera sufficiens esse fundamentum sue fidei
 mox etiam exurgit controuersia quanam illi
 vera Ecclesia cuius testimoniũ securè possit reci-
 pi, ad quod similiter ritè deducendum, etiam
 Spiritus subsidiũ est necessarium. Omnia vni-
 testimonio Spiritus S. conscientijs nostris facti-
 nituntur, atq; hic errore admissio, ire vltius
 possumus. Quæ enim est vltima causa, cur quidam
 Romanam Ecclesiam pro vnica vera Dei Ecclesia
 recipiant, alij vero, non obstantibus omnibus q; op-
 ab eius Doctoribus tam speciosè proferuntur de
 riq; uitate, concordia, sanctitate, amplitudine, firmi-
 tate & gloria eiusdem Romana Ecclesia, eandem
 nihil

nihilominus habeant pro ipsissima meretrice Babylonica? Quenam extrema huius rei alia potest allegari causa, nisi quod illi perpensis secum omnibus, statuunt Romanam Ecclesiam vere vnicam esse Dei Ecclesiam; hi vero omnibus similiter examinatis penes se firmiter concludant reuera Babyloniam esse meretricem? Non potest profecto vltima alia dari ratio, nisi quod vnus quidem sic, alius vero aliter ex hoc vel illo fundamento concludat. Hic ergo cardo versatur negotij vt bene quilibet attendat ne in suo iudicio decipiatur. Amplius autem miseri ac defectibiles homines efficere in hac re non possunt: nec enim fieri potest vt is qui ad recipiendā religionem quandam admonetur, ab isto secum faciendo iudicio verē religionem istam reclam esse & genuinam impediatur &c.

Satis audacter sane & ad fallendum populum accommo datē commentus est hæc Teelingius. Sed fraus detegatur. Argumentum in hoc consistit. Incertum est quæ sit vera Ecclesia, ergo incertum est quis sit controuersiarū apud Cotholicos Iudex. Negato antecedente, sic nos iam ex superiori capite concludere possumus: Certissimum est quis sit successor B. Petri in regimine Pastoralis totius Ecclesiæ, ergo certissimum est tam quis sit iudex controuersiarum, quam quæ sit vera Christi Ecclesia. Hic, si audeat Teelingius neget nostrū Antecedens. Si audeat, contumaciæ conuictus est, vt patet ex præcedenti cap. Nullus enim

in tota antiquitate inuenitur pastor aut Episcopus, qui vel se vel alium præter Romanum Pontificem, Petri successorem ausus fuerit appellare. Teelingius ergo alium, vel, si placet, semetipsum successorem Petri nobis nunc talem obijciat, dicatq; tū se miserum & detestabilem homuncionem non accepisse à Deo in hoc mundo aliquod remediū, quo ab hoc errore se certò potuerit expedire. Sed cogitet quod dicit Apostolus: *Nolite errare fratres, Deus non irredetur.* Certè audent quidam hic coram hominibus multa temerè vel malitiosè effundere, quæ dubio procul, vbi ad Tribunal Dei ventum fuerit, respondere pro se non audebunt. Dicit Teelingius Catholicos odiosè & falso contra suos declamare quod populum ad priuatum suum cuiuscunque spiritum aut cerebrum ablegent. Videamus. Dicit idem hic Teelingius, vltimam causam seu rationem ob quam vnus in controuersijs vnā, alius aliā partē teneat, non posse allegari aliam, nisi quod hic, perpensis & ratiōnis omnibus sic, ille verò aliter in suo iudicio concludat, Si hoc sit vltimum, vltra quod miser homo non habet quod agat, aut vnde se expediat ex errore (quod tunc tem alter dissentientium tenetur constrictus) appello hic te quicumque vnquam fueris, libelli huius Lector, da gloriam Deo, & proficere quisnam à Teelingio constituatur vltimus controuersiarum iudex aut arbiter, aut quidnam sit hominem ad Spiritum

aut cerebrum proprium in dubijs ablegare, si
 nō fit istud quod hic facit Teelingius. Iam
 verò vt clarissime pateat, quam ipse nos odiosè
 & falsò, vel fortassis ignoranter in eandem e-
 rumnā secū protrahere voluerit, ad argumen-
 ti ipsius probationem respondeo, tantum à
 vero abesse vt iudiciū, quod quisque examinatis
 omnibus penes se statuit aut concludit, sit vltima
 ratio ob quam vnus quidem sic, alter verò
 aliter sētiat, vt potius inter causas seu rationes
 locum nullum habeat; sed omniū causarū &
 rationum sit effectus & exitus. Patet hoc ma-
 nifestè ex eo quod si quis interrogaretur: *Tua*
quare sic sentis respōdere prudenter nō posset:
Quia sic penes me statuo Quid. n. hoc est, diceret
 alter, *quaro cur ita penes te statuas, cur tu conclu-*
seris Romanā Ecclesiā meretricem esse Babylonicā.
 Respōdebit Teelingius: *Multas quidem tibi ex*
sacra scriptura rationes huius iudicij mei allegare
possem, sed vt vltimam tibi huius IUDICII RA-
TIONEM assignem, ea hac est; quia ego VVIL-
HELMVS TEELINGIVS, perpensis om-
nibus testimonijs sacra scriptura, examinatis item
papistarum contrarijs argumentis penes me firmi-
ter ac fortiter statui, conclusi & iudicavi Roma-
nam Ecclesiam verissimam esse meretricem Bab-
ylonicam. Apage cum isthac tua ratione iu-
 dicij tui. qui idem mihi perpetuo per idem
 probas. Certe eadem hac formula vti solent
 pro tribunali iudices.

Sic ergo manifestè Teelingius sibi & cuique de rudi plebe hoc arrogat iudicium, quod tãtis calūnijs, tam hostiliter in successore B. Petri exagitat. Vt autē nos ipsi Teelingio suggeramus quãnã reuera sint rationes ob quas quilibet & sententiam suam & iudicium & conclusionem sic vel aliter firmet ac figat, relegat attentius quæ capite primo huius partis diximus, & secum ipse perpendat, quæ fuerit causa seu ratio istius iudicij, quod Pharisei de Christo Domino tulerunt Ioannis 9. v. 16. *Non est hic homo à Deo qui Sabbatum non custodit,* & paulo post: *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Contra vero quæ fuerit ratio seu causa iudicij quod tulit de eodem Christo Domino ibidē cæcus illuminatus vers. 17. *Ille autem dixit quia propheta est,* & infra vers. 30. *In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus nō audit, sed si quis Dei cultor est. & volūtatē eius facit hūc exaudit. A saculo non est auditum quia quis aperit oculos cæcinati. Nisi esset hic à Deo non potuisset facere quidquam.* Tum Teelingius argumenta vtriusque huius partis examinatis (si audeat) dicat vltimam vtrobiq; rationem & causam tã fortiter firmãdi iudicij non potuisse esse aliã præter ipsammet (cuius causam quærimus) iudicium: dicatq; Phariseos secura consciētia in diuino iudicio posse miseriam hanc suã allegare, quod scilicet in hoc mundo nihil concessum sibi

sibi fuerit, quo *ultimam* suam iudicij *rationem* corrigere potuerint aut examinare. Valet enī adud illos hoc ipsum Teelingij argumentum non minus de Christo Domino, quàm apud reformatos de eiusdem Domini sponsa Romana Ecclesia. Sicut enim nunc sunt qui examinatis perpensisq; omnibus sponsam certo concludūt esse meretricem Babyloniam, ita tunc fuerunt, qui *Ioan. 8. v. 48.* sponso dixerunt: *nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu & demonium habes, & iterum v. 52. nunc cognouimus quia demonium habes.* Iterum. de eodem mitissimo Domino alij *Ioan. 10. v. 20.* *Demonium habet & insanit quid ipsum audit is?* Hi autē nunquid omnia etiā perpenderant? nunquid mirabilia & opera & verba mirati frequenter trutinauerāt? numquid & scripturas cōsuluerāt? imo vero. Nam & *Ioan. 7. v. 52.* dicunt Nicodemo: *Scrutare scripturas & vide quia Galilæa propheta nō surgit.* Quæ ergo causa aut ratio *ultima* ob quam à cæteris Christum pro Propheta, pro Messia, pro viui Dei filio recipientibus diuersum iudicium firmauerant? an miseri & defectibiles homunciones nullū à Christo Domino hic in terris acceperant remedium, quo hoc suum iudicium emendarēt? Audebit hoc dicere Teelingius? Imo vero in simili (de sponsa Agni) iam dixit, Sed quid de miseris istis homuncionib. dixit, quæ non meretur veritas? *Ego autem habeo testimonium ma-*

ius Ioanne: opera enim qua ego facio testimonio
 perhibent de me quia pater misit me Ioan. 5. v. 36.
 & c. 10. 25. Imo versu. 37. & 38. sic illos ab omni
 quam iuxta Teelingium habebat, miseria libe-
 rat dicens: si non facio opera Patris mei, non
 credere mihi: Si autem facio, & si mihi non vultis
 credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis
 quia Pater in me est, & ego in Patre. Dicat nobis
 hic Teelingius: Verba quæ Christus Domi-
 nus Iudæis loquebatur, numquid tam erant
 verbum Dei quam quæ ab Euangelistis con-
 scripta sunt? Dominus tamē à verbis suis quo-
 ablegat auditores? An ad illam quam Teelin-
 gius vocat firmandi iudicij rationem vltimam?
 Nihil tale, sed istam nullā rationē, effectum
 verò inuidiosi odij ex miraculis vult corri-
 gi. Iudicium iam latum erat, vltima (si Teelin-
 gius credimus) ratio iam erat adhibita: & tamē
 grauissimus admissus erat in iudicio error.
 Christum Dominum habere dæmonium iu-
 dicatum, conclusum, statutum erat. Heu mi-
 seria! vltius homines isti iam quid agere
 qua ratione se expedirent ab errore, non habe-
 bant, ait Teelingius. Sed negat Veritas. Quis
 enim hæc dicit? Audiui ego vestro in iudicio
 latam de me sententiam: Falsa est illa: nam ego
 dæmonium non habeo sed honorifico Patrem meum.
 Tamen reprehendere hoc iudicium vestrum
 non possem, si in eo iuxta allegata, & probata
 pro

procedere voluissetis. Hoc autem quia facere noluiſtis adeoque ex odio mei allegatis pro mea parte argumentis, operibus dico quę testimonium pro me certum dicebant & omni exceptione maius, æquas aures non prabuiſtis: ideo; non dico, animum iam desperabundi abiſcite; *quasi miſeri nihil habeatis amplius quod agatis*; ſed iudiciũ ſemel temerè latũ retractate, rationes vtrimq; quid pro aut cõtra me valeant, non dico ſubtiliter ſed tantũ populariter vt hic cæcus iam coram vobis fecit, expendite.

Cauete autem, ne audito operum meorum testimonio, eo contempto aliam quæratis rationem aut cauſam veritatis cognoſcendæ, veſtrum dico proprium iudicium. Hoc enim non eſſet ex allegatis rationibus iudicare, ſed (contemptis omnibus rationibus) quod affectus ſuadet edicere; nec eſſet iudicium rebus cõformare, ſed velle ex iudicio ad res iudicandas veritatem deriuare. Hoc enim iam ante feciſtis, ſed ideo Actores & Iudices facti, iudicium deprauiſtis. Hęc ita ſe habere manifeſtè patet tum ex ſuperioribus ſcripturæ locis, tum ex illo Ioan. 15. 24. *Si opera non feciſſem in eis qua nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt. Quia odio*
habu-

habuerunt me GRATIS, id est, sine vlla aut
 RATIONE aut CAUSA. Ita tunc pro se
 respondit Sponsus Christus: ita, nunc ad Te-
 lingii quæstionem pro se sponsa respondet
 Ecclesia. Hæc populariter ad Argumentum
 Teelingij. Nunc pro ijs qui in Christiana phi-
 losophia naturaliter vel parum sunt versati i-
 ta veritas huius doctrinæ ad principia sua de-
 ducitur. Quæ sunt hæc: I. Ratio seu causa inue-
 stigandæ veritatis; adeoque ferendi de re qua-
 libet iudicij; nihil est aliud quam quod voca-
 mus in argumentis medium terminum.

II. Huiusmodi ratio triplex est: vel enim
 desumitur à priori, ita vt sit etiam causa rei
 cuius cognitionem quærimus; & per hanc ge-
 neratur cognitio scientifica quæ est clara & e-
 uidēs rei visio. 2. à posteriori; ita vt sit propri-
 us & adæquatus effectus: & per hanc si depen-
 dentia eius à causa euidenter sit cognita, eti-
 am simili causæ cognitionem acquirimus.
 3. à quolibet accidentali signo seu rei vestigi-
 o vel causâ incerta, vel dicentis testimo-
 nio.

III. In omnib. his medium seu ratio illa quæ
 non per se sed per aliam rationem cognoscenda
 debet, non potest vocari ratio vltima. Vltima
 enim ratio est à qua primò incipit intellectus
 veritatem rei per illationem inuestigans. Dic-
 citur vero *vltima*, ob viam probationis seu re-
 solutionis & examinis, qua quis vel sibi vel al-

teri respondet conclusionem suam aliquam
veram esse ob hanc *rationem*; quæ si rei, cui at-
tribuitur, negari possit competere, iterum per
aliam rationem hoc est probandum; donec ad
huiusmodi rationem deueniatur, quam imme-
diatè subiecto suo conuenire, dubium esse nõ
possit, qua habita demum per viam illationis
& consequentiæ, conclusionis veritas innotes-
cit, procedendo à *ratione vltima* seu primo princi-
pio per omnes rationes intermedias. Atque
ita veritate cognita fertur ab intellectu iudi-
cium. Hinc patet quam crassè Teelingius iu-
dicium vocauerit *rationem vltimam ob quam v-
nus quidem sic, alter vero aliter concludat*. Vera
autem causa cur aliquando ex iisdem princi-
pijs à diuersis non eadè deducatur conclusio,
est quia in deductione aut consequentia v-
nius rationis ex alia se deceptos credunt, idq;
ob præiudicium firmum quod habent de cõ-
clusionis falsitate, ideoque sophisticè & iuxta
prophana Philosophorum instituta secum ac-
tum esse clamitant. Vel certè aliquam ex ra-
tionibus non satis certã esse putant, præsertim
si totidem literis in sacra scriptura non habe-
atur. Interim probe Teelingius prodidit qua
ipse via in controuersijs dijudicandis soleat
procedere, nimirum vt examinatis medijs &
rationibus omnibus quæ solè ad veritatis in-
uestigationem faciunt, alia detur apud ipsum cõ-
cludendi, ratio nõ ratio. Quænam ista? *Sic volo*

sic

siciubeo. stet pro ratione voluntas. Verè hec est
non alia pertinaciū hæreticorū ratio.

Scimus quoque nos (& quis nescit) quemlibet particularem hominem antequam alicui propositioni assentiatur, non posse non iudicare de veritate eiusdem propositionis. Sed hoc etiam scimus, & vtinam scirent aduersarij nostri aliter de veritate iudicare Magistros, aliter discipulos.

Nam Magistri quidem adeo rem omnem quam docere ex officio alios debent, perspectam habeant oportet, vt rationes doctrinæ suæ congruentes assignare valeant, nec prius ipsi de rebus iudicium ferant, quam intellectu proprio rationes & media examinando expenderit: Discipuli verò infirmitatis suæ conscij nunquam de semetipsis illud præsumunt. Sed vt in facilioribus rationes frequenter à magistro suppeditatas intellectu percipiunt, ita in arduis perplexisq; quæstionibus authoritatè Magistri pro ratione non dubia præsupponunt præsertim si de perfecta eius scientia certum testimonium habeant.

Porro constat in rebus fidei Deum quidem esse magistrum omnium: sub eo tamen quorundam etiam esse *in Ecclesia Pastores & Doctores* qui consequenter quoque suos discipulos habeant. Hoc si Teelingius cogitasset, non ita profecto indignè & hæreticè de vnanimi omnium Patrum, atq; adeo de totius Ecclesiæ iudicio

dicio disputasset, vt cuiuslibet stupido de fe-
ce plebis iudicio illud magistraliter exami-
nandum subiecisset.

Manet itaque Teelingius in sua quã pro-
fessus est miseria, nec secum eò nos argumẽto
suo pertrahere potuit. Nunc quæ argumẽto-
rum nostrorum, pro fidei nostræ veritate sit
soliditas, adeoque conscientiæ in rebus credẽ-
dis prudens tranquillitas paulò clarius dedu-
camus. Primo quidẽ certũ est ad assensum fi-
dei opus esse medio aliquo prorsus infallibili.
Hoc esse aliud non potest quam testimoniũ
Dei quod solum per se est *αὐτόπιστον* & in cre-
dendis prima & vltima, hoc est, vnica ratio, ob
quam præcise assentiri propositionibus fidei
debemus vt supra cap. 5. diximus, quare non
est verum quod Teelingius dicit fundamen-
tum fidei apud Catholicos esse testimonium
Ecclesiæ. Nam certum est etiam si quis crede-
ret omnia quæ docet aut proponit Ecclesia, si
solum propter eius testimonium crederet, &
non ideo *quia Deus dixit*; verbum Dei non ha-
bitaret in hoc homine.

Voluit nihilo minus diuina Sapiencia testi-
monium suum foris nobis tum ob oculos in
sacra scriptura, tum ob aures in Euangelica
prædicatione, proponere, vt ita hoc medio
humanæ naturæ congruo præmisso, ipse per
fidei lumen, vbi natura deficit, intus in animo
veritatẽ loqueretur, Quoniã vero hoc mediũ
quo

quo

quo Deus in proponendo suo testimonio
titur, ita commune est, vt eodem & falsi pro
phetæ vtantur dicentes: *verbum Domini, verbum*
Domini cum Dominus non sit locutus, Scribentes
item *quintum Euangeliū* quod suo ex cerebro
confinxerunt; iterum aliquo argumento fide-
les certi debebant reddi quoniam illi falsi qui
porro veri essent proponentes à Deo missi.
Patet hoc ex eo quod dixit Christus Iudeos
peccatum nō habituros sibi non credēdo, nisi
certo argumento miraculorum veracitatem
suam ipsis demonstrasset. Hinc fit hæc con-
clusio prima.

Conclusio
I.

Nulli omnino prædicanti (etiam si clarissi-
mis verbis & sententijs Euangelium verè e-
nunciet) necessarium est credere, nisi certis ar-
gumentis probare possit se esse à Deo missum
vt populo *αὐτόπιστοι* Dei testimonium propo-
nat. Si enim ipsimet Deo homini, Christo, te-
stimonium istud proponenti nemo credere
sine talibus argumentis tenebatur, cui qui
credere tenebitur? Itaque cum catholici
Ecclesiæ, vel potius ijs quæ ab Ecclesia proponi-
tur indubitata fidē tribuāt; temerè id faciunt
nisi certa argumenta habeant, Ecclesiam
Ecclesiæ pastores esse à Deo missos ad propo-
sitionis seu prædicationis (in quo etiam conti-
netur sacræ Scripturæ explanationis) officium
obeundum, & quidem eos in hoc munere non
esse Deo infideles aut Apostatas. Ex eodem
funde

fundamento sequitur, si quando dubium est in sacris literis, quis sit verus verborum sensus à Spiritu Sancto intentus, neminem teneri ad assentiendum ijs quæ aliquis iuxta suâ explanatione inde docet, nisi iste proponens certis argumētis probare possit, se à Deo siue mediate siue immediate authoritatem & instructionem accepisse ad hoc munus obeundum.

Quicumq; credit ea esse à Deo reuelata quæ proponuntur ab illis qui sunt extra Ecclesiæ *Conclus. 2.* catholicæ, hoc est Romanæ communionem, is non habet vllas probabiles rationes veritatis suorum articulorum quos credit. Patet primò ex ijs quæ hoc capite, & circa finem Tertiæ partis contra Teelingium disputauimus. Nimirum quia & ministri & eorum auditores non possunt aliam rationem sui assensus vltimum assignare, nisi proprium cerebrum, aut iudiciū. Sed hæc ratio in rebus fidei quæ humanum iudiciū longè superant, stultitia est. Porro si quis Teelingio cautior velit sistere suarū rationum resolutionem in ipso verbo Dei, dicendo ideo se certum de veritate articulorum credendorum *quia Deus eos reuelauit,* non poterit hoc vllò argumento probabili vel sibi metipso, multo minus alijs demonstrare; si enim alleget sacras literas, recipiet eas maiori veneratione quilibet Catholicorum, & clarissimum earum sensum pro se citabit: vt patet partim ex ijs quæ diximus parte su-

Periori, cap. 3. partim infra sequenti capite dicemus. Tunc incumbet Ministro diuersam ab Ecclesia Catholica explicationem alleganti, eam veram esse demonstrare. Quomodo autem id poterit? An collatione aliorum locorum? Idem faciet Catholicus non minus feliciter. Si tandem conuenire non possint, quænam erit cuiusque vltima ratio suæ fidei? an verbum Dei? Sed quis credet prudenter, illi habere verbū Dei qui id nōdum probauit? Ita necessario apud oēs Catholicæ Ecclesiæ aduersarios iudicium propriū & conclusio non probata, est vltima assensus ratio nō ratio.

Conclusio 3.

Catholici habent argumenta certissima & infallibilia, ea quæ ab Ecclesia Romana, hoc est ijs pastoribus qui cum Romano Pontifice in fidei doctrina communicant, tanquam a Deo reuelata proponuntur, reuera esse talia. Probatum primò quia certissimo diuini verbi testimonio constat, veram Christi Ecclesiam nunquam à vera fide defecturam. Matth. 16. 18. *Et porta inferi non praualebunt aduersus eam.* Negare autem quis hæreticorum non erubescet, si à fide Ecclesia tota deficeret, futuram esse synagogam Satanæ, atque adeo à portis inferi superandam; nec fore amplius Christi sed diaboli corpus ita vt Christus cū ea nō esset amplius, sed diabolus, contra illud etiam vltimi capitis Matth. *Ego vobiscum sum vsque ad mundi consummationem.* Iam vero, quænam sit vera Christi Ecclesia, hoc tempore satis euide-

ter & infallibili experientia ex eisdem locis deducitur hoc modo: Nulla secta aut religio quæ in orbe Christiano nota est, potest probare aut etiam defendere suam congregationem ita à Christo fundatam ut inferorum portæ nunquam ei præualuerint. Nulla, inquam præter Ecclesiam Romanam, hoc potest sustinere. Sciuntur enim primi omnium aliarum sectarum authores qui fuerint, quando & quæ noua docere ceperint, ut patet ex historijs & confessione propria eorundem Nouatorum. Lutherus enim cum deformatione suam inchoaret nulli se alteri sectæ quæ ante illud tempus fuerat coniunxit. Sic Calvinus & alij. Possunt quidem huius temporis sectarij in antiquis hæreticis quosdam reperire suarum opinionum articulos, non tamen apud eosdem omnes, nec successionem aut continuationem ullam sibi cum illis intercessisse possunt ostendere. Imo quicquid habent antiquitatis contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ, hoc iam olim ab eadem Ecclesia & SS. Patribus Augustino, Hieronymo & alijs pro hæretico condemnatum est, & ad certos hæresiarchas tanquam ad fontes deductum, scilicet ad Vigilantium, Aerium & alios. Cætera quæ posteriorum sectariorum quilibet propria sibi dogmata excogitauit, ea in antiquis Patrum & historicorum scriptis ne vestigiū quidē inueniūt; sed contraria sæper & doctrina & consuetudo, ea scil.

quæ adhuc in Romana Ecclesia obseruatur, absque vllius contradictione viguisse liquidoprehenditur, nec vllus à nostris aduersarijs ex tota antiquitate proferri potest qui primus alicuius dogmatis, quod Romana Ecclesia hodie profitetur, author fuerit. Hæc adeo sunt in Ecclesiasticis historijs & Patrum scriptis manifesta, vt latere neminem possint qui vel exiguam imo vnus diei operam isti studio locare voluerit. Quare nunc breuitatis studio testimonia illa prætermitto: Recipio tamen abunde satis me ea allegaturum si ad hoc interpellatus fuero aut necessarium esse intellexero. Secundo quod Romana Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, hoc argumento firmissimo demonstratur: Illa est Ecclesia Christi cui præsidet pastor ouium & agnorum Christi: sed Ecclesiæ Romanæ præsidet iste pastor; ergo Ecclesia Romana & non alia est verum ouile Christi. Maior huius syllogismi immediata & necessaria consequentia deducitur ex ijs scripturæ testimonijs quib. supra Ecclesiæ tū Petri vt ordinarij Pastoris inuoluntarietate demonstrauimus. Minor dependet a cognitione experimentalis successione de qua superiori capite. Ex his ergo rationibus volumus vt Teelingius cum suis concludat, quod Romana Ecclesia sit Babylonica meretricis, vltiorem autem rationem, hoc est, iudicium priuati cerebri statuentis quod vult, præcedat hic

hinc arceri volumus. Si quis tamen sacras literas in dubium vocare velit an contineant in se infallibilem veritatem diuinam, illi vltior quædam ratio assignanda foret, recensenda scilicet ex historijs miracula antiquitus à Deo facta in confirmationem Christianæ fidei, expendenda doctrinæ catholicæ puritas & credibilitas, prophetiarum completio, vita apud plurimos singularis sanctitas qualis in nulla alia secta inuenitur. Deniq; (quod etiã validũ est contra omnes sectarios & irrefutabile argumentum) miraculorum operatio quæ perpetuò in Ecclesia catholica viget. Videt enim etiam hostes nostri per catholicæ Romanæ Ecclesiæ ministros non raro dæmonia pelli è corporibus hominũ quod ipsi nec fecerunt vnquam, nec tentare audet. Dicere tamẽ audet id fieri in Beelsebub principe dæmoniorũ. Verũ respõdit ipsis pro nobis iã dudũ iu Euãgelio Christus Dominus. Itẽ vbicunq; terrarũ receter Cathollica fides per prædicationem inuehitur, vt hoc & superiori sæculo factũ in America, India, Iaponia, China &c. experiẽtia comprobatur, id euenire quod Marci vlt. de prædicatione Apostolica dicitur: *illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonẽ confirmante sequentibus signis.* De quo si aduersarij studiosè vellent inquirere, testes omni exceptione maiores facillimè reperirẽt. Sicut & de eo quod etiã nũ hodie in ipsa vrbe

Roma viri degant tantæ sanctitatis & austeritatis vitæ, vt creberrima faciant miracula à multis scæculis inaudita. Sed ridere potius obstinatis semper hæc libuit, quam num ita se habeant inquirere. Et quid mirum si ista rideant, qui etiam quæ certissima experientia didicerunt facta esse miracula plurima in Collee acuto, & alibi tanquam in sui contumeliam redundantia blasphemare non desinunt. Imo tanquam in cæcitate prorsus obdurati prodigia quæ frequenter ostendit Deus in medio Belgio non aduertunt, miserrimas dico mortes, & insperatas subitasque depauperationes, eorū qui cum Calvinianæ deformationis essent avidissimi zelatores atque ideo in catholicos cæteris crudelius desæuissent, ex Ecclesiasticis bonis, tanquam Aegypti spolijs immensas sibi diuitias cumulauerant. Qui certè, si gratus Deo zelus eorum fuisset, benedictione sibi potius quam horribiles illas; quas vbiopus fuerit, probare potero & norunt plurimamiserias & desperationes conciliaissent. Haec omnia aliaque plura quæ de notis veræ Christi Ecclesiæ fufius ab alijs disputantur, non valent apud aduersarios nostros tantum quantum vna Teelingij vltima ratio. Ista præponderat omnibus, contemnit miracula, blasphemat Ecclesiam, rationes veras exhibet, sacris literis quæ vult sēsū obtrudit, & mox *verbum Domini, verbum Domini* clamitat. Ergone mirū est

est vacillare homines istos de suę fidei veritate, qui nullā omnino rationē, nullū testimonium, nullam successionem in opinionum suarum fauorem possunt excogitare? Verum ut omnis illis prorsus gloriandi in verbo Dei materies amputetur, paucis præcipua Catholice Ecclesię dogmata quę contra scripturā pugnare simplicioribus ipsi indies nituntur persuadere, hic ad sacrę scriprurę normam reuocemus.

CAPVT VIII.

DE SOLIDITATE PRÆCIPVORUM Ecclesię Catholica dogmatum ex
Scriptura sacra

Ræcipua quę aduersarij nostri in nobis calumniari solent, sunt hæc: *Potestas post Christum suprema in Ecclesia militantis regimine*, quā nos Rom. Pont. conuenire dicimus: *Meritum bonorum operū, Cultus imaginum, Inuocatio Sanctorum, Numerus Sacramentorū & Sacrificiū Missæ*. De potestate Pontificis hactenus pro instituti nostri ratione satis diximus, & procul dubio solidius eam probauimus, quam omnes aduersarij eam ex scriptura infringere possint. De Merito bonorum operū vide quę diximus in fine secundę partis. Vnde facile patebit hostilem esse calumniam vel ignorantiam crassam CATHOLICÆ doctrinæ, cum aduersarii contra nos insurgunt, tanquam si nostris meritis